DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE HYDROPHOBIA QUAM...

Francesco Veronesi

DISSERTATIO
MEDICA INAUGURALIS
DE
HYDROPHOBIA

QUAM ANNUENTIBUS
ILLUSTRISSIMO AC MAGNIFICO DOMINO PRÆSIDE
ET DIRECTORE, AC CLARISSIMIS
D. D. PROFESSORIBUS

PRO DOCTORIS MEDICINÆ LAUREA

RITE OBTINENDA
IN CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI
PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBMITTIT

Franciscus Veronesi

EX

Vidardo Laudis Pompejae

IN THESES ADNEXAS DISPUTABITUR
IN UNIVERSITATIS PALATIO

TICINI REGII
EX TYPIS JOAN. JAC. CAPELLI
1819.

DE HYDROPHOBIA.

Quae quidem pernicies etsi rarissime celerior, saepissime lentior, non ideo tamen minus calamitosa, et miseranda speciatim dicitur Rabies, et canina quidem, quod canes ea potissimum corripiuntur, et correpti in alia variis modis transmittunt, aut etiam a terribili, quo plerumque stipatur, symptomate, vocatur aquae metus, seu Hydrophobia contagiosa.

Disputant aliqui, an hydrophobia ab hinc temporibus nota fuerit. Quamvis apud *Hippocratem* nullibi fit mentio; inde tamen non inficiandum, etiam tunc temporis extitisse. Fieri potest, ut rabies, ubi *Hippocrates* vixit, forsitan minus frequens fuerit, quam alibi; nam monuit *Aurelianus*, Cariae, et Cretae incolas hydrophobia affligi frequentissime; dum auctores alii affirmant, in tota meridionali America canes numquam hoc morbo vexari. Hydrophobia caeterarum more aegritudinum non aeque ubique locorum communis est; at contra plus, minusve regionibus quibusdam infesta, et noxia prae varia occasionum potestate ad contagium illius propagationi favens evolvendum.

Ratione varia, et characteribus diversis hydrophobiam Medici definierunt. Juxta *Linnaeum* definitur horror, et metus potulentorum cum

furore, et desiderio mordendi, dilaniandi appropinquantes, a morsu animalium rabiosorum. *Sauvages* nuncupat illam horrorem potulentorum. *Cullen* autem, potionis cujuslibet, utpote convulsionem pharyngis dolentem cientis fastidium, et horror, plerumque e morsu animalis rabidi. Definitio, quam tradit *Vogel*, etsi ista quoque parum accurata, anteponenda ceteris videtur; quum illam definiat a febre, ab horrore, et intollerantia potulentorum, a singultu, et convulsionibus. Attamen hanc ultimam simul ac definitiones a Linnaeo, et ceteris auctoribus recensitas ad opus ineptas puto; crebro enim desunt characteres, qui definitiones easdem constituunt. Exitialis quandoque evasit hydrophobia sine horrore, ac metu potulentorum; et *Hildanus* ipse vidit hydrophobos aut bibere sine fastidio ad mortem usque, aut terribile illud symptoma se se exerere in extremo dumtaxat aegritudinis stadio. Furor, et cupiditas ipsa mordendi, et dilaniandi haud semper hydrophobis insunt: quin furentes interdum illi aquiescunt placidi, et tristes: nam desiderium hujusmodi tantum observatur cum aegri delirio laborant. Non soli insuper canes rabiosi per morsum hydrophobiam communicant, neque morbus mammalia tantummodo affligit; aves enim, et serpentes rabie plerumque infecti fuere, et eamdem morsu propagarunt. Nullum igitur ex illis signis pathognomicon, et necessarium dici potest; ideoque historiam symptomatum aegritudinem constituentium ad hujusce diagnosim, et rectam medendi methodum seligendam facere quamplurimi, arbitror.

Post morsum animalis rabidi homo contagio infectus saepe saepius hoc ordine aegrotare incipit. Vulnus (nisi contagium per integram cutem transiens hominem infecit) quod ceteris difficilius ad cicatricem tendit, dum accessus ingreditur, dolet, et dein dolores per alia loca maxime vicina se se extendunt: at ubi cicatrix jam ducta fuerit, in loco commorso dolor quidam obtusus accedit; aut cicatrix prurit cum elevatione, et duritie majori: iterum quandoque inflammatione corripitur. et aperitur; in ulcus malignum degenerat foedum odorem exhalans. Aliquoties dolores vagi, aut molesti sensus caloris, et frigoris in variis corporis partibus, aut levioris concussionis electricae circa spinam dorsi prodeunt. Sequuntur tristitia, metus, silentium, somni inquieti, a spectris, a larvis ombratilibus turbati; solitudinis studium; lassitudo, gravitas membrorum, tarditas in motubus volontariis. Hoc primum aegritudinis stadium. Dein, febris excitatur: adsunt horripilationes, frigus, et sitis plus minusve molesta, quibus subsequitur calor urens ad pectus, et ad abdomen cum convulsionibus, et tendinum subsultubus. Cibi appetentiam aegrotus amittit, fit iracundus; accedunt nauseae, vomitus, sensus ponderis circa regionem epigastricam, et hypocondria; horror, et fastidium potulentorum ingens; quibus accedunt anxietas, angustia circa praecordia, summa spirandi difficultas, ad pectus dolores acutissimi, vertigines, intollerantia quandoque lucis, et aeris, nec non corporis cujuscumque splendentis, concussiones electricae circa spinam dorsi, leves motus abnormes per reliquas corporis partes

sese propagantes, paralyses fugaces, ac torpor. Tum praedictis continenter adauctis symptomata alia se dant socia, sed graviora; deliquia nempe, dysphagia, sensus molestae constrictionis ad laryngem, respiratio suspiriosa, singultus, ad tactum, aut visum aquae, et rerum omnium liquidarum, vel pellucidarum, vel instar speculi reflectentium tremor, metus, convulsiones immanes, etsi adhuc deglutitio offae solidae possibilis; pulsus apparent duri, frequentes, inaequales, quandoque intermittentes; oculi, et vultus mutantur; calor ad pectus magis magisque urens; vomitus humoris fusci, viscidi, biliosi; vigiliae fere assiduae, delirium ferox, aut tacitum cum syncope alternans: tempore somni saepe saepius observantur convulsiones ad faciem, et collum, accedunt trismus, nymphomania in foeminis, satiriasis in maribus, ac seminis profusiones involuntariae; interdum diarrhoea, aut dysenteria. Nunc sensus ut plurimum imminuuntur, aut ratione varia depravantur. Aer, lux, strepitus, deprehensio hydrophobum valde terrent, et lacrymas, horrorem, sudores gelidos ad pectus, ad faciem progignunt. Si quis liquida eidem offert, furor sese manifestat; linguam asperam exerit, maxima spirandi difficultas adest, vox est rauca; spumae in ore collectio, et eam in alios conjiciendi conatus vel invitus; oculorum pupillae sunt contractae, et vasa sanguifera turgent; cutis pallida, urinae limpidae interdum haud facile dejectae: accedit terribile signum, furor nempe quaeque obvia mordendi, neque a voluntate compescendus. Si temporis momento symptomata haec remit-

tunt, aut mitigantur, et mens fit prudens, recteque cogitans; quaerit aeger an insolita fecerit, et deprecatur adstantes, ut fugiant, ne illos invite commordeat. Tandem omnia ingravescunt: vomitus est frequens, pulsus, vires, respiratio deficiunt; sudor gelidus, rabies summa, artuum paralyses, dejectiones involuntariae, convulsiones intra tertium, aut quartum fere semper a primo gradu diem scenam hanc horribilem absolvunt, vitam adimendo.

Teter hic morbus frequentius oritur a contagio peculiari, quod ab animalibus rabiosis; canibus ut plurimum morsu hominibus communicatur.

Post morsum igitur hydrophobi animalis inflictum caussa morbi jam haeret in corpore, et si huic praedispositio insit contagii actioni, et effectubus favens, aut interim occasiones variae dispositionem congruam afferant, ocius, vel tardius morbus sese exerit symptomatibus jam memoratis stipatus, proxime referendus ad spasmos. Etenim videtur primo consistere in affectione systematis nervosi.

Utrum post morsum animalis rabidi contagium absorbeatur, an non; dissident Medici de hoc sententiam ferentes. Quum observarent nonnulli, vasa lymphatica, et glandulas loco demorso respondentes post morsum haud dolere, nec intumescere, nec inflammari; animo conceperunt, contagium hydrophobum in eodem loco a vasibus lymphaticis non resorberi, nec alibi exportari, sed inde irritamentum juxta filos nervosos, qui tamquam tramites actionis contagii considerantur, ad medullam spinae dorsi, et hinc per universum fere gangliorum systema,

ac nervos viscerum functionibus, motubus voluntariis, et automaticis inservientes, ad cerebrum usque propagatum, horrificam morbi formam enarratis signis dignoscendam progignere posse. Sed contra auctores alii defendunt se glandulas, et vasa lymphatica, quae a parte demorsa oriuntur, saepe saepius tumida, dura, et inflammata aspexisse, ideoque rationi consentaneam potius opinionem esse credunt, contagii absorptionem admittendi, quod humoribus permistum, citius, aut tardius opportunitatem in corpore nactum ad diros effectus evolvendos, actuosum fiat, vitae functiones, ac dynamicam solidorum conditionem ratione quadam, et sibi peculiari immutans, per occultam ipsius corporis infecti chemiam animalem in faucibus regeneretur, et tunc nobilioribus systematis nervosi partibus obnoxium stimulum contiuenter afferens hydrophobiam, sive luctuosam phaenomenorum scenam superius descriptam ciere valeat. His tamen objici potest, glandularum intumescentiam, et dolorem, non a contagii resorptione, sed a vulnere inflicto derivare; hoc enim vulneribus, et plagis fere omnibus comune videmus. Quod si contagii absorptio vellet admitti, ejusque translatio in humorum acervum, ut cum his, et sanguine permistum plurimis mensibus, et quandoque annis vi cordis per totum corpus motu perenni circumeat; quomodo fit, ut tam diu immutatum, occultum servetur? Nonne tunc temporis vitae reactione extingui, assimilari, vel per aliquod organon excretorium e corpore eliminari deberet?

In utroque casu hujusce morbi, contagium

animalis prius rabidi continuo in culpa est, aut per morsum tantummodo, aut per attactum quoque corpori admotum comunicetur. Caeterae occasiones, quas Medici dicunt potestate praeditas ad eundem morbum progignendum, equidem vi adeo terribili vacant: aegritudines enim ab iis editae similes tantum hydrophobiae fuerunt, quod ad symptomata attinet; quum autem ę morsu animalis rabidi non penderent, indole contagiosa profecto carebant.

Sed contagium illud per congruam dispositionem extingui, confici, aut ex corpore elici potest, ubi nulla subesset occasio ad saevos ejus effectus in oeconomia animali excitandos. Causae remotae hydrophobiae evolutioni faventes, contagio numquam excluso, sunt animi pathemata, vis phantasiae, graviditas, morbi pestilentiales, potentiae noxiae e foris corpori admotae, vini, et liquorum spirituosorum usus immodicus, regio fervida, vicissitudines intensi aestus, et frigoris, tempestas aestuosa, et sicca diu durans, magnae operationes chirurgicae, dolores immanes, vulnera, vermes in renibus, intestinis, et cerebro nidulantes.

Nonnulli inter Medicos contendunt, hydrophobiam, absque praevio contagio, sua sponte quandoque nasci. Bosquillon opinatur, metum, et vim phantasiae potius, quam morsum, et contagium corpori admotum hujusce morbi in causa esse; ita ut habeat hydrophobiam tamquam merum causae moralis effectum. Ad propositum confirmandum in argumentum ducit, pueros ab animalibus rabiosis commorsos in hydrophobiam haud incidere, quod metum, et terrorem non-

dum agnoscant; et pluries se expertum esse hominis hydrophobi salivae inoculationem canibus saepius fuisse tentatam, sed semper absque morbi hujus evolutione. Quae quidem opinio, et argumenta vix refellendae censentur. Exemplis et observationibus puerorum metu, et terrore expertium, qui hydrophobi sunt facti post morsum animalium rabidorum, medicinae opera omnia abundant. Etsi autem non satis constaret mutua vis deleteria salivae hominum rabidorum in canes; attamen indubitatum est, per hujusmodi animantium salivam hominibus, aliisque individuis hydrophobiam propagari. Aeque pro certo habeo, animi pathemata, et perturbationes, aestus, et frigus ingens, vulnera, vermes sine praevio morsu animalis rabidi numquam in homine hydrophobiam progignere. Hunter affirmat, morbos ab hisce caussis ortos, idest tetanum, epilepsiam, hysteriam, cum rabie confusos fuisse a Medicis, aut enarrata adjuncta nil aliud effecisse, quam effectus contagii hydrophobi corpori admoti per morsum animalis rabidi minime perpensum accelerare.

Dein scitu dignum puto, utrum contagium hydrophobicum salivae tantum, an humoribus, et substantiis aliis animalis rabidi inhaereat: utrum hydrophobi saliva corporis cutim attingens, in eandem transeat, et morbum progignere valeat; an opus sit laceratione, sive vulnere nervis, ac vasis proxime inflicto. Sauvages permultas recenset observationes, quae evincunt, contagium hydrophobicum sine vulnere per cutim transiisse. Palmarius scripsit, rusticum rabiosum, qui brevi se moriturum cognovit, adstantes ro-

gasse, ut sibi ante mortem filios osculari liceret; quo facto animam efflavit; sed ejus nati septimam post diem eodem morbo correpti perierunt omnes. Auctor quidam affirmat, mulierem quamdam hydrophobia interiisse post osculum illi datum a conjuge eodem morbo laborante. Sed econtra egregius Fontana cum certissimum haberet viperae venenum innocue cuti absque vulnere admotum, aut etiam ingestum fuisse; in animum sibi persuasit, contagium aeque hydrophobicum cutim tantummodo attingens morbum communicare non posse; et asserit, se pluries aspexisse hydrophoborum salivam ab animalibus lambi absque ejusdem morbi evolutione. Quae quidem comparatio haud magni argumenti videtur; facta enim superius enarrata minus evertit, et binas spectat potentias indole, natura, ac ratione agendi inter se diversissimas. Contagium hydrophobicum profecto more caeterorum quoquo modo cuti aut ulcerosa, aut epidermide subtili tecta admotum, etiam solo contactu, data conditione, in alios potest transmitti, eoque modo inficere. Quod ad primam attinet quaestionem, scire opportet, aliquos inter Medicos contendisse, hydrophobiam non tantum per salivam morsu, aut solo contactu corpori admotam propagari; verumetiam per coitum, per sudorem, sanguinem, et carnes animalium rabiosorum, atque in argumentum permultas duxere observationes. Sauvages autem in utilissima dissertatione, quam de hoc morbo scripsit, experimentis ibi enarratis certissimum fecit, solam salivam contagium propagare; sed non alios humores, et optime quidem notavit, carnes

animalium rabiosorum, et stramen, in quo animalia rabie infecta decubuerant, ex quorum esu homines, equi, boves, oves hydrophobiam contraxerunt, et tandem interierunt, saliva inquinata fuisse; aeque ac sanguinem contagium communicasse illis, qui illum lamberant, cum ex rabiosorum animalium ore magna spumescentis salivae copia stillare soleat. Quamvis vero accuratiores observationes, et eadem ratio nobis persuadere videantur, contagium hydrophobicum, salivae tantum adhaerere, et per ipsam communicari; magna tamen cautela est opus, et ipsa prudentia hoc dictat, ut ab omni contactu rabidi animalis caveat quisque, ne tam horrifico morbo vexetur.

Non parvi censenda est quaestio, utrum homo hydrophobia correptus morbum aliis communicare queat, an non. Hunter ultimum affirmare videtur, quod multis constat observationibus, hydrophoborum custodes a terribili hoc contagio semper immunes fuisse. Id autem quod concludere vult, non efficitur in propositis, nec est consequens: exinde enim minus colligitur, an omnes infecti certe hydrophobia laborarent, et quas illi adhibuerint cautelas, ut vim contagii deleteriam effugerent, aut irritam redderent. Ex altera parte Hildanus, Palmarius, et alii auctores celeberrimi affirmant, oscula patris hydrophobi perniciosa fuisse liberis; conjugem hydrophobum osculo, aut morsu alteri aegritudinem communicasse; et plurimas hujusmodi observationes recenset quoque Sauvages clarissimus quondam apud Monspelienses medicinae Professor. Neque ad litem dirimendam porro

sufficiunt experimenta, in quibus hominum hydrophoborum saliva per inoculationem canibus innocue fuit admota: haec enim ostendunt, contagium hominis hydrophobi mutuam in canes forsan haud noxiam potestatem exerere; sed casus ab auctoribus recensitos nullo modo evertunt; et ideo propagationem morbi de homine in alios certam habeo. Si contagiorum omnium rationem agendi perspicimus, non ne dubitari potest, circuitum phoenomenorum, quae tempore invasionis, augmenti, status, et declinationis sese exerunt, praesentiae invisibilis fere contagii particulae ab hinc diebus, vel mensibus plurimis forsitan corporis occulte inhaerentis haud tribuendum; sed potius repetitis dosibus ejusdem contagii, quod opportune mutatis vitae viribus, et functionibus, post quam stimulo insolito prima contagii atomus actuosa fieri incepit, per arcanam chemiam animalem regeneratur, et continetur, vim insitam deleteriam exercet, vires humanae oeconomiae perturbans, quatenus sistematis conditio processui regenerationis favens desinat? Idem profecto quod ad contagium hydrophobicum spectat. Quisnam concipere non tantum, sed animo imaginari audebit, tam perexiguam contagii molem corpori admotam, postquam diu occulta illi inhaesit, actuosam fieri, ordinem sanitatis evertere, tam horrificam symptomatum scenam progignere, et mortem atrocissimam afferre; si arcano processu illius regeneratio in systhemate nervoso haud locum haberet? At si contagii regenerationi, et stimulo phoenomenorum series morbosa debetur; cur in homine hydrophobicum contagium respicie-

mus tamquam simplex venenum, ineptum ideo ad morbum sui generis propagandum, quod canibus innocue admota fuerit hominum rabidorum saliva? Non ne hoc adjudicandum minori contagii efficaciae, nam celeber Sauvages olim notavit, rabidum venenum ab homine communicatum alteri homini minus virulentum esse, quam quod per morsum canis, aut lupi communicatur. Nemo siquidem inficietur, nonnullas alias contagiones animalibus, quam homini comuniores, quoquo modo huic communicatas, partem deficere pristina potestate, et, vicibus sese propagando irritas omnino quandoque fieri.

Prognosin quod spectat.

A veneno rabido non omnes aeque cito, aut tanta vehementia affici; hos fere facile absolvi, alios graviter decumbere, et cum periculo rapi misere alios.

Morsus in primo stadio morositatis, et obmurmurationis periculosus quidem, non vero pessimus, in secundo stadio verae rabiei fere insanabilis.

Pejus semper habere biliosos, calidos, minus pituitosos, frigidos; pejus etiam viros, quam foeminas, juvenes quam senes etc.

Venenum rabidum ab homine alteri communicatum homini minus virulentum esse, quam quod per morsum canis, aut lupi communicatur.

Sanguinis e vulnere copiosiorem effluxum, sudorem, dum vulnus curatur, aut jam curatum est, multum, multam urinam praecipue

nigram sponte evacuatam fere a rabie absolvere.

Hydrophobiam non semper nec necessarie sequi, frequenter tamen supervenire neglectis, mori etiam, qui nec difficilem deglutitionem nec aquae formidinem habeant.

Citius hydrophobiam sequi, si contagio rabioso saliva immediate effecta fuerit: hinc etiam vulnera in faciem, quam aliam partem inflicta periculosiora esse.

Crustulam vulneri rabido diu inhaerentem fere semper hydrophobam.

A formidine aquae jam detentos raro quartum sine judicio in mortem, aut sanitatem excedere; evadentium exempla admodum rara esse, tamen aliqua multa mercurio debito administrato.

A formidine aquae restitutos quandoque post restitutionem mori, maxime si perstant vehementia nervorum pathemata.

Reliquarum omnium partium vehementes spasmos etiam non ingruente aquae metu lethales esse.

Cura.

Nunc vero ad curationem venio. Cuncti fere Medici desperant de curanda hydrophobia; et veteres medicinae principes olim deplorabant: *demorsorum profilaxim vix ullam certam haberi; at jam acquam paventium sanatorum exemplum dari certa fide nullum* Negari tamen non potest, aliquos hydrophobos, etsi gravioribus symptomatibus oppressos evasisse; et hujusmodi observationes satis exactae inveniuntur apud auctores locupletissimos. Helmontius testatur,

se vidisse super quamdam navem senem hydrophobum a morsu canis, funibus vinctum, quem socii, et nautae alligaverant antennae zona sub axilis transeunte, et postea in mare ter submerserunt: dein solutis vinculis, aegrotus aquam marinam, quam hauserat, evomere coepit, et rabie sanatus est. Detestabile foret igitur, simulque atrox relinquere hydrophobos saevissimis cruciatubus, et desperationi sine praesidiis potius, quam dare illis remedia, quae nonnulli affirmant, interdum profuisse, aut novas tentare, et experiri methodos; ex morbi enim historia patet, non quidem absolute incurabilem esse, sed raro admodum ejus sanationem contigisse.

Cum in hoc loco demorso contagium diu quandoque manere possit, antequam fiat actuosum, et morbum excitet, vix unquam curandum; quisque porro certissimum habet, quam ocyssime post morsum remedia esse adhibenda, ut contagium corpori admotum eliciatur ex loco demorso, aut tacto; vel destruatur una cum parte corporis, cui adhaeret; quae methodus vocatur cura prophilatica externa; interna enim requirit, ut praesidiis chemicis ab aegroto ingerendis contagium illud immutetur, et irritum fiat; aut remediis dynamicis vitale incitamentum si luxuriosum, coerceatur, corporis dispositionem contagii potestati faventem ammovendi causa.

Quoad prophilaticam curationem externam, sive localem attinet, praeclarus *Sauvages* monet, ut quantocius partes demorsae rescindantur a partibus sanis, si absque vitae periculo fieri potest. *Hunter*, *Vansvieten*, et scriptores fere

omnes, hanc faciunt caeterarum methodum certissimam. Si penis ulcerosi amputatio a syphilide tuetur: si a variolis corpus defendit partis disjunctio cui per inoculationem fuerunt admotae; si aegregius *Fontana* locum a vipera demorsum ferro abscindens; hujusce veneni effectus praevertebat; sine dubio commorsae partis separatio hydrophobiam impediet, dummodo sat cito perficiatur; et eo modo, ut nulla maneat particula dentibus, vel contagio jam tacta. Ubi autem vulnus tales occupat partes, quae rescindi nequeunt; vel aegri tam crudelem methodum nolunt pati; loco demorso lotiones repetitae cum aqua frigida, vel tepida, aut cui saponis, vel aceti nonnihil admisceatur, contagii educendi caussa proponunt Medici: et quoties vulnus recentissime sit inflictum, nil praestantius, quam partem commorsam in aquam profluentem immergere, ut melius contagio abluatur. Si autem vulnus sinuosum adparet ob peculiarem dentium formam, eo modo, ut omnibus, et singulis punctis illud nequeat aqua detergi; opus est, ut sinus findantur, et sanguis una cum diro veneno permistus exeat.

Post lotionem loci demorsi plurimum emolumenti affert ejusdem inustio satis profunda, ut plane destruantur particulae omnes, quae contagio inquinatae fuerunt; et dein, eschara delapsa, remediis acribus, rodentibus diu sustineatur suppuratio: *Hildanus* enim monet Chirurgos, ut dum cauterium actuale applicant locis demorsis, potius peccent in excessu, quam defectu; quia extremus morbus requirit extremum remedium.

Igni praeferunt nonnulli cauterium potentiale, idest oxymurias stibii, potassa fusa, oxyseptonas argenti fusum, cujus usus habetur facilior, et magis idoneus, quam primi. Reipsa haud inficiendum in plurimis casibus hujusmodi delectum magnae esse utilitatis, sicuti ubi agitur de vulnere oculorum palpebras obsidente.

Delapsa eschara per ustionem, vel cauterium potentiale, vel medicamenta rodentia effecta, opus est ad suppurationem diu sustinendam, et partes veneno infectas magis magisque destruendas, ut ullis diebus ulcus abluatur potassa fusa sufficienti quantitate aquae fontis soluta, et illi applicentur titivilitia in eodem remedio, vel in oxymuriate stibii prius immersa, quoad necessarium fit, ut illud cicatricem ducat.

Quum hisce temporibus praeclarissimus *Brugnatelli* in Ticinensi scientiarum Universitate Professor, et itidem Ausoniae decus immortale adverteret, vapores oxymuriatici termossigenati plurimum commendatos fuisse ad extinctionem putridorum miasmatum, quae inficiunt publica hospitia, carceres, et loca omnia, in quibus aegroti permanent, aut populus convenit; in animum sibi persuasit, hydroclorum, seu oxymuriaticum termossigenatum posse adhiberi, ut teter hydrophobiae paroxysmus evitetur. Sed illum nobis eripuit ineluctabile fatum, priusquam satis observationum colligeret ad spem, quae illi affulserant, confirmandam. Praetium operis tamen foret, ut Medici circa genus humanum bene animati experimenta repeterent, ne res in medio relinquatur; nec praeclarissimi viri intereant consilia prius, quam nova tentamina de

hujusmodi remedii aliqua, aut nulla utilitate praecise adjudicent.

Superest ut pauca dicam de curatione prophylatica interna, et de illa, quae sit adhibenda, ubi morbus jam se praebuit in scenam; eadem enim remedia in utroque casu conveniunt.

Postquam virus hydrophobicum partem, cui fuit admotum, conspersit, et opportunitas adest, ut actuosum fiat; in nervos perreptans insolitum stimulum imprimit, quod juxta hos ad plexus, et gauglia et ad medullam usque spinae dorsi extenditur; atque ab hinc per innumeras propagines nervorum ad viscera, et organa motus voluntarii: quamobrem cerebrum idem denique simul patitur, eo modo, ut vitali incitamento luxuriaute, functionum ordo, earumque mutua conspiratio perturbetur, ac morbus sui generis cieatur, quem sustinent, et augent repetitae doses contagii, cujus regeneratio in systhemate nervoso probabiliter efficitur. Ad diathesim igitur stimuli compescendam, ut regenerationis processus desinat, ac diri contagii exitus praecaveamus, in primis venae sectio videtur tentari posse; et illam repetere non dubitant medici; hyrudines simul applicentur collo, regioni glandularum salivalium, ac laryngi; nam hic praesertim tendit virulenta contagii actio. Dein emetica, et purgantia tum in cura prophylatica, tum morbo praesenti, ac praecipue in hujus primo stadio, aut initio secundi magnopere faciunt ad avvertendos, et eliminandos humores viscidos, biliosos, foeces, et quaeque in sthomaco, vel intestinis colliguntur, et irritant. Apud veteres medicos satis comunis immersionis fuit

usus ad praecavendam hydrophobiam in demorsis, et etiam sanandam. Batavi re ipsa solebant demorsos, et hydrophobos quam ocyssime mari immergere. Ad curationem therapeuticam ejusdem morbi quamplurima remedia fuerunt adhibita, et ex iis aliquo cum successu Laurus Cerasus, Taxus Baccata, Faba Sancti Ignatii, Cantharides, uti scriptores testantur, Atropa Belladonna dosibus liberalibus porrecta a nonnullis quoque laudatur. At vero observationes temporum omnium docuerunt, praeparationes mercuriales usu interno, et externo prae ceteris in hoc morbo profuisse, vulneris tamen pertractatione haud neglecta. Nec remedium in Russia commendatum negligendum, radix scilicet Alismae Plantaginis, ad cujus usum comprobandum Vindobonenses medici jam plura experimenta instituerunt, sed usque dum absque felici eventu. Remedia, quae specificorum titulo ad hunc morbum divulgantur, quod magnam olim famam habuerint, non multum fidei gerunt aetate nostra; quin imo a foro medico plane proscripta vellem; plerumque enim composita ex substantiis inter se, quoad rationem earum agendi attinet, diversissimis, aut actione, quam morbi natura haud requirit, praeditis.

THESES DISCUTIENDÆ.

I.

Ex infirmorum connubiis plurima mala a genitoribus in liberos transeunt.

II.

Neuroses vim vitalem potius quam organicam materiem afficiunt.

III.

Viri ex superbia, foeminae ex zelotipia, puellae ex amore insaniunt.

IV.

Pulsus ab arteriarum dilatatione minime pendet.

V.

Belladonna in rabie canina optimum remedium est.

VI.

Multum ad nutritionem confert midulla spinalis.